



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Speculum Approbandorum Bipartitum**

**Unczovsky, Marianus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1693**

Quæstio XXIII. Proponuntur & resolvuntur casus in quibus Pœnitens  
excusatur ab integritate materiali Confessionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37308**

*V.* Quid si Confessarius certò sciret Pœnitentem esse in statu peccati mortalis, ipse verò de eo non se accusaret?  
*S.* Tenetur interrogare, quod si neget non debet eum absolvere, Alloza de obligat. Confess. Sect. 13. pag. 123.

### QUÆSTIO XXIII

*Proponuntur & resolvuntur casus, in quibus Pœnitens excusatur ab integritate materiali Confessionis.*

*Vicar.* **S**It casus quòd Pœnitens repêriatur in tali statu, ut, si confessionem continuet, periculum immineat nè interim sinè absolutione moriatur.

*S.* Tunc Confessarius debet monere Pœnitentem ut aliqua delicta exponat, illiq; absolutionem impendere, ac postea, si tempus supersit, audire reliqua peccata, & ratio est: quia tunc præceptum integritatis cessat, & urget præceptum charitatis citò succurrendi,



di, præterquam quod tunc integritas moraliter impossibilis, quæ impossibilitas est sufficiens ad hoc, ut dicatur præceptum de integritate non obligare.

U. Dicis à Pœnitente exponenda esse aliqua delicta fortè ex graviorib<sup>9</sup> cùm confessio fiat coram solo Sacerdote?

S. (Quidquid dicat *Medina* & alij) sentio Pœnitentem posse exponere, clavisq<sup>;</sup> subijcere peccatum mortale quo gravaretur, quodcunq<sup>;</sup> vellet, hoc enim ipso exhiberet aliquid de materia necessaria pro Sacramento, nec obligatio subijciendi clavis<sup>9</sup> peccata mortalia est major respectu unius, quàm alterius.

U. Numquid gravioribus plus aggravatur Pœnitens, ergo tenetur exponere graviora?

S. Nonnè etiam pluribus magis gravatur, & tamen Pœnitens, qui haberet plura peccata, in casu non est obligatus plura exponere, quàm ille, qui haberet pauciora. N s U. Po-



**U.** Ponamus autem casum, quod Pœnitens esset infirmus haberetque tempus sufficiens integram confessionem faciendi, nihilominus recēsendo peccata sua ostenderet se gravari, aut fessum esse, velleq; in alium diem differre complementum, quid tunc?

**S.** Tunc quoq; adesset causa sufficiens non faciendi integram confessionem, quandoquidem prout lego apud Silvest. verbo *confessio*, *Henriq. Lib. 5. Sum. c. 12.* *Bonacin. Diss. 5. de Penit. Q. 5. Sect. 3.* & alios, præceptum de integritate confessionis non obligat cum notabili incōmodo, quale adesset in casu, quando Pœnitens ostenderet se gravari in explicandis peccatis, subiret namq; nocumentum corporale, item fieri posset, quod stante gravitate morbi, & gravamine quod in exponendis peccatis percipit, fastidiret confessionem, & pertæsus nollet prosequi, aut si prosequeretur absq; debita dispositione continuaret: quare huc quadrat illud



Iud melliflui Doct. quod ex charitate, vel pro eadem institutum est, non debet contra charitatem militare, converteretur autem Sacramentum Pœnit. sic institutum contra charitatem, si exigeretur integritas confessionis tunc, quando notabiliter difficilis esset infirmo.

V. Ergo si illis horis, in quibus ingravescit morbus, infirmus ostendat se gravari à confessione, absolvendus erit, & differenda in aliud tempus explicatio aliorum peccatorum.

S. Sic sentio.

V. Suppono autem tunc Confessarium obligari, monere Pœnitentem præsertim si rudis sit, ut eliciat actum doloris circa omnia peccata etiam quæ non confitetur, cum proposito confitendi cætera, quæ tunc non explicat.

S. Obligatur quando ex qualitate personæ prudenter advertit opus esse monitione, facilè enim fieri posset, quòd Pœnitens ob ruditatem doleret tantum



tum de confessis excludendo non confessis, & remittendo dolorem de ipsis ad tempus in quo ea confitebitur, & consequenter non haberet verum dolorem, qui debet se extendere ad omnia mortalia.

*U.* Ex haecenus dictis colligo in tali casu Confessarium obligatum esse reverti ad Pœnitentem, ut audiat peccata non explicata.

*S.* Hoc ipsum notat *Zambran. in suis decretis. c. 4. de Pœnit. dub. 6. num. 3.* cujus rationem assignat, quia non solum Pœnitens perturbaretur, si non revertetur, sed quia etiam acquisivit Jus ad complendam cum ipso confessionem quoad materiale integritatem, & cum Confessarius assumpserit munus Judicis quoad ipsum Pœnitentem, quamvis antea fuerit liber, postea tamen obligatur ad complendum iudicium, adeoque debet directe absolvere etiam à peccatis primò non explicatis injungendo pro omnibus congruam satisfactionem. *U. Di.*



U. Dicis Pœnitentem illum acquisivisse Jus ad complendam cum ipso confessionem, quoad materialem integritatem, igitur verum erit, quòd, si Pœnitens se sisteret coram Confessario, ipse autem exhiberet se ùt Judicem incipiendo confessionem illius audire, hoc facto acquireret aliquod Jus naturale in ordine ad absolutionem sibi impertiendam ex suppositione, quod postea Confessario foret moraliter impossibile integram audire confessionem. S. Sic sentiunt *Henriquez lib. 5. Summ. c. 12. num. 3. Bonac. Disp. 5. de Penit. Q. 5. Sect. 2. punct. 2.* & hoc absq; limitatione, ità ut in tali casu ex ratione Juris assignati absolvendus sit Pœnitens à Confessario moraliter impotente totam excipere confessionem, etiamsi alteri confiteri possit: dicunt itaq; Jus Sacramenti Pœnit. inchoati exigere ut perficiatur, non secùs ac Jus Sacrificij incepti, unde sicut si Sacerdos, postquam consecravit panem, recordaretur

tur



tur peccati mortalis, deberet nihilominus prosequi consecrationem calicis non obstante præcepto Divino de præmittenda confessione, & si recedatur post consecrationem adhuc deberet sumere, ita quoque juxta hos DD. non obstante præcepto Divino de integritate confessionis necesse est in Sacramento Pœnit. inchoato ipsi Pœnitenti absq; integritate confessionis absolutionem impertiri, necessitate fundata in Jure naturali, quod acquirit Pœnitens dum confessionem incipit, & Sacerdos se illi exhibet ut Judicem.

**U.** Observa! si Confessarius audiendo confessionem reperiat casus reservatos desistit, non perficiendo Sacramentum & remittit ad Superiorem, quare ergo asseritur necesse esse ut Sacramentum Pœnit. inchoatum perficiatur?

**S.** Ad hanc propositionem multa mihi occurrunt dicenda, ad quæ exprimenda fortè alibi dabitur occasio, nunc di-



co quod lego apud sequaces præfata  
Sententiæ, videlicet necesse non esse,  
quòd Sacramentum Pœnitentiæ perficiatur  
quando non potest perfici ut in dicto casu,  
quia Confessarius defectu Jurisdictionis reperit  
causam non esse suam, sed superioris, & ideò si  
progrederetur nulliter progredetur, secus  
autem quando potest perfici, & concurrunt  
omnia requisita essentialia, quamvis deficiat  
aliquod requisitum integrale, ut est integritas  
materialis confessionis, tunc enim juxta cit: DD.  
Sacramentum inceptum perfici debet.  
U. Transeamus ad alium casum sæpè  
occurrentem, sitq; iste: plurimi constituti  
sunt in naufragio, vel in bello, vel Urbis  
aggressione &c. econtrá Confessarij pauci,  
qui si niterentur singulorum integram  
Confessionem excipere periculum esset nè  
minor pars absq; Confessione pereat, quæro  
an tunc possit fieri Confessio non integra?

S.Po.



S. Potest: cum enim sit gravis necessitas spiritualis, urget præceptum charitatis talibus Personis in casu expresso subveniendi.

V. Sed peto, an etiam sufficiet, quòd sic in periculo mortis constituti in genere se accusent, quòd peccaverint & DEUM offenderint, exprimendo dolorem signis à Confessario visu, vel auditu perceptis?

S. Sufficiet: illud enim quod Sacramentum Pœnitentiæ essentialiter requirit, est dolor de peccatis, & sensibilis accusatio eo modo quo fieri potest, neq; explicatio peccatorum in specie idè requiritur, ut reus fiat capax absolutionis, sed ut Sacerdos cognoscere possit statum Pœnitentis, & servare debitam æqualitatem in Pœnitentia imponenda juxta *Trid. Sess. 14. cap. 5. de Pœnit.* Quare ut feratur Sententia absolutionis sufficiet si Pœnitens se subiciat absolvendum cum debita dispositione.

V. Quo-



V. Quomodo quaeso potest se subjicere ut absolvendum, nisi declaret a quo sit absolvendus? non potest autem declarare nisi in specie exprimat aliquod peccatum, ergo &c.

S. Satis erit ad hoc ut se subjiciat absolvendum, quod declaret a quo sit absolvendus *in genere*, quando enim confitetur in genere, declarat se esse absolvendum ut offensorem DEI, adeoque ab omnibus per quae vel in quibus DEUM offendit, & ideo Confessio est formaliter integra, non secus ac quando aliqua peccata in specie explicantur, & alia justa de causa tacentur; causam autem in presenti casu confitendi in genere ponit necessitas, excusans a Confessione peccatorum in specie.

V. Ponamus casum quod Pœnitens ex confessione alicujus peccati prudenter timeret grave damnum sibi, vel proximo inferendum excusabiturnè tunc ab integritate Confessionis?

S. Excusabitur sive damnum sit spiritua-



tuale, siue temporale, vi: *Navar. cap. 7. Manu. Laym. lib. 5. Theol. Mor. Tract. 6. Bonac. Disp. 5. de Penit. q. 5. Suar. Disp. 23. de Penit. Sect. 2.* & alios: ratio responsi est in promptu, siquidem tunc cum præcepto de integritate Confessionis concurret etiam Jus naturale, & servandi se indemnem, & non inferendi nocumentum alicui, cui Juri cedere debet præceptum expressum de integritate Confess: Sacrament:

U. Videtur mihi licere quidem Pœnitenti sic trepidanti facere Confessionem non integram extra periculum mortis, non tamen in mortis periculo vel articulo (*puta si rationabiliter timeat persecutionem & grave odium Confessarij contra se, vel alium, item gravem infamiam &c.*) cum enim sit amissurus vitam, adeoq; omnia quæ sunt hujus Mundi, & oporteat illum de externa salute solùm cogitare, non debet curare sequelam cujuscunq; damni temporalis.

S. Di-



S. Dico ego, neq; tunc obligari ad Confessionem materialiter integram, quia si agatur de damno spirituali sive proprio sive Proximi lex charitatis præcipit, Pœnitenti, ut vitet hujuscemodi damnium proprium & Proximi: si autem descendamus ad damnium proprium tēporale fateor utiq; laudabile esse si Pœnitens morti proximus ex honesto fine illud non curet anteponendo integritatem Confessionis, attamen ad hoc non obligatur, nam habet jus naturale ad conservandum se indemnem, adeoq; poterit uti suo jure, præsertim quia est habenda ratio bonæ opinionis etiam post mortem, & quia damnium temporale possit redundare in Hæredes.

U. Ex dictis tuis colligo abstinendum quoque esse ab integritate materiali Confessionis, quando esset futura occasio scandali?

S. Hoc ipsum jam concepi, dummodò non sit scandalum tale, ad quod vitandum obligatio non est. U. Ex-



**V.** Existimas citrà dubium Pœnitentem non esse obligatum vitare scandalum illud quod proveniret fortè ex malitia Confessarij, quid autem arbitraris tunc faciendum, quando Pœnitens prudenter timeret, quòd ex Confessione alicujus peccati carnalis Confessarius sit sumpturus occasionem peccandi?

**S.** Arbitror expedire ut Pœnitens taceat tale peccatum non confitendo, si quidem per manifestationem illius exponeret proximum gravi periculo peccandi; & licèt hoc proveniret ex malitia Confessarij, adhuc tamen ipsi offerretur excitativum: *Caveant autem Pœnitentes nè malè sentiant de Confessarijs ( licèt circumdatis quoq; infirmitate ) absq; rationabili fundamento, & si fortè quandoq; aliquod evenisset fundamentum malè sentiendi, suspendant iudicium, sibiq; prudenter consulant.*

**V.** Demus casum quòd Pœnitens prudenter timeret nè ex Confessione ali-

cuj  
caf  
ro  
S.  
occ  
fess  
ciu  
re  
He  
pa  
Sac  
tur  
gil  
ret  
qu  
Co  
pr  
qu  
im  
&  
U  
qu  
le  
Po



cujus peccati Confessarius fumeret occasionem revelandi Confessionem, quaero an tunc teneatur integrè confiteri? S. Nequaquam, obstaculum ponit, tum occasio peccandi, quæ daretur ipsi Confessario, tum sigilli fractio in præjudicium Pœnitentis quæ sequeretur, quare occasione hujus casûs observo cum *Henriquez lib. 6. Sum. c. 12. Vasqu. 3. par. 9. 1. art. 2. dub. 3.* & alijs, quòd si Sacerdos non posset explicare peccatum à se commissum sinè violatione sigilli Confessionis à se audita, debeat reticere illud peccatum, & ratio est, quia præceptum de servando sigillo Confessionis fortiùs obligat, quàm præceptum de integritate, præterquam quòd in priori præcepto etiam involvatur obligatio Naturalis secreti & fidelitatis.

U. Site approbatum contigerit ad aliquem infirmum deferre Viaticum solenniter, & adverteris Conscientiam Pœnitentis esse gravatam multis peccatis.



catis, fortè propterea, quia reperimus  
 piures Confessiones præteritas esse re-  
 petendas, & consequenter Confessio-  
 nem utpotè longam non habituram fi-  
 nem nisi intrà aliquod Notabile tem-  
 pus, volesnè tunc integram Pœnitentis  
 Confessionem excipere?

S. Scio *Angel. ver. Eucharistia, num. 24.*  
*Navar. in Manuli num 49.* & alios eò  
 inclinare, ut Pœnitenti in tali casu  
 ministretur Eucharistia præmissò dun-  
 taxat actu contritionis absq; ulla con-  
 fessione: ego autem sentio præmit-  
 tendam tunc esse confessionem etiam  
 non integram, idcirco volam pro tunc  
 pœnitentem confiteri, licèt absq; in-  
 tegritate materiali, & ad sic sentien-  
 dum stimulor ex hac ratione: quia cer-  
 tum est juxta verba *Conc. Trid. Sess. 13.*  
*cap. 7. de Pœnit.* quòd ante sumptionem  
 Eucharistiæ præmittenda sit confes-  
 sio, nisi urgeat necessitas celebrandi  
 aut sumendi Eucharistiam & desit co-  
 pia Confessarij, ità ut hæ duæ condi-  
 tio-



tiones conjunctim concurrere debeant: modò in casu proposito concurrat quidem necessitas Eucharistiam sumendi, sed non concurrat inopia Confessarij, ideoq; in tali casu Pœnitens adstringend<sup>9</sup> est ut confessionem præmittat; est autem causa sufficiens ad non confitendum materialiter integrè, nempe notabile damnum bonæ opinionis quòd vitare debet, ergo fiat confessio delictorum talis, qualis proutunc moraliter est possibilis id est non integra materialiter.

U. Exsuppositione quòd Pœnitens sibi videatur contritus, apparet esse minus inconueniens communicare non præmissâ Confessione, quàm eâ factâ præproperè & non integrè, ergo illud minus inconueniens tunc eligendum est.

S. Mihi apparet majus inconueniens nullo modo seruire præceptum, quàm seruire aliquo modo imò quando secundum substantiam seruari potest  
plu-



pluribus modis, fit contra ipsum si non fervetur, eo modo quo fervari potest. sic autem est, quod urgeat præceptum de præmittenda confessione à Pœnitente Eucharistiam sumpturo, etiam si sibi videretur contritus, ergo præmittenda est eo modo, quo præmitti potest, atq; ita fervabitur præceptum eo modo, quo illud fervare moraliter possibile est.

*U.* Pro complemento hujus Quæstionis peto, an si in examine aliquorum peccatorum Pœnitens prudenter timeret moram sibi futuram noxiam, posset excusari ab integritate materiali?

*S.* Si Pœnitens prudenter timeret in se excitanda aliqua turpia desideria, casu quo diutiùs moraretur in examine aliquorum peccatorum, vel etiam in narratione facienda Confessario, dico posse leviter transire & prætermittere in Confessione circumstantiam, ex qua talia desideria excitantur, etiam si



mutaret speciem, & ratio est: quia hoc  
exponit charitas erga se ipsum ne se  
exponat periculo peccandi. Adverto  
etiam non deesse AA. asserentes Pœ-  
nitentem excusari ab integritate Con-  
fessionis in dubio positivo, quando  
videlicet dubitat de sequela gravis da-  
mni ex integritate materiali Confes-  
sionis, quamvis plures resolvant ne-  
gativè vid: Bonac. Disp. 5. de Sacrament.  
Pœnit. Q. 5. Sect. 2. Vasqu. 3. Par. Q. 19.  
Art. 2. dub. 3. Valent. 3. Par. Disp. 7. Q.  
12. Pun. 1.

### QUÆSTIO XXIV.

*Discutiuntur aliqui Casus in quibus Con-  
fessarius excusatur ab audienda integrè  
Confessione Penitentis, ubi etiam aliqua  
de manifestatione Complicis pro-  
pter Confessionis integ-  
ritatem.*

*Vicar.* **C**oncipiamus adesse tantam  
turbam Confiteri volentium  
in